

Vc
2659



Q.F.



Q. 6. 30. 15

I.

Vc
2659

AFFECTUS
Academiae VVitebergensis
ET SENATUS OPPIDANI
IN
Generosiss.^{im} & Illustriß.^{am} Dominam,
**SIBYLLAM-ELI-
SABETAM**

Celsiss.^{mi} atq; Opt.^{mi} Principis
JOHANNIS-GEORGII,
DUCIS SAXONIÆ

*Incomparabilem (beu quondam!) CONIUGEM, die
XXV. Febr. in Templo Arcis frequentissimā conci-
one declaratus, Interprete*

Frid. Taubmanno,
Professore publico.

ANNO CLO I C CVI.

•OS(O)S•

Typis Meisnerianis.




LIBER
Academiae VATICANAE
ET LIBRARIAE
IN
GEOGRAPHIA Q. M. D. M. D. M. D.
SIBYLLE-MALI



Liber apud Magdeburgenses

PRORECTOR ET SE-
NATUS ACADEMIÆ VVIT-
TEBERGENSIS.



D diem perendinum illustris pridem ac generosissima Princeps ac Domina, Domina SIBYLLA ELISABETHA, illustrissimi celsissimique Principis ac Domini, Domini IOANNIS GEORGII, Ducis Saxoniae, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, &c. Domini nostri clementissimi conjunx ut dilectissima, sic desideratissima humo FREIBERGAE mandabitur. Par igitur est, ut in communi illo casu atq; lucitu pietatis debite partes eas usurpemus omnes, quas & rei acerbitas affert, & subjectæ devotionis affectus nobis imperat. In magno dolore, vel mærore potius sit oportet Princeps generosissimus, qui partem à corpore suo & a velli senserit, & nunc abesse doleat: quippe qui & conjunx uxorem, & talis conjunx talem uxorem amiserit: & quod omnium acerbissimum est, in ipso & conjugii, & etatis flore amiserit. Eonne rem rediisse, ut cui paucis ab hinc annis officium geniale fecerat, ei nunc munus ferale ducat? & in cuius consortio suavissimo generis spem, familia nomen, suorum vota, patriæ optata reposuerat, ex ejus discidio acerbissimo interceptam rem & expectationem universam esse mœreat; ac, nisi desiderium tristissimum, superesse nihil videat? Quæ porrò cogitatio assequi, quæ oratio representare valeat jacturam gravissimam lectissimarū atq; amabilissimarum illarum virtutum, quibus Princeps optima ornata, & tanquam pedissequio pulcherrimo stipata erat, pietatis, liberalitatis, humilitatis? Quas virtutes cum à parentibus inclitis accepisset, & in domum ac familiam Electoriam, in qua jam antè erant, nupta secum adduxisset, ita eas in majorem quotidie splendorem datura erat, quò diuturniore ipsa lucis usura frueretur, si per Dei immortalis voluntatem licuisset. Ita enim se res habet: autor

ille, conservator, ac gubernator rerum omnium maximarum minimarum Deus, in cuius manu, arbitrio, ac nutu vite & ingressus, etiam processus & exitus sunt, cui soli constant rationes factorum suorum, qui melius de nobis statuit, quam ullus pater de unico filio: ille inquam, Deus optimus maximus tantam virtutum, quae in Principem fæminam cadere solent, præstantiam nobis potius afficiendam ostendit, quam fruendam concessit, ut quo ubiorem ac luculentiorem inde fructum sperare licuisset, eò graviorem ac molestiorem luctum haberemus. Cum ipsa quidem Principe optimè ac felicissimè actum est, quæ maturo ac secundo cursu, ex hoc rerum humanarum turbulentissimo salo, in beatitudinis sempiternæ portum delata, Dei & Servatoris sui Domini nostri I E S V C H R I S T I conspectu & colloquio fruitur: cuius sanguine mundata, meritis libera ta, fide ac spe confirmata, sua sibi nunc tota est, coronam immortalitatis consecuta. Quamobrem ut hoc agamus, atq; ad primaredeamus, hortamur omnes jurisdictioni nostræ subjectos, ut ad diem proximum Martis audita hora duodecima in area Collegii majoris frequentes convenient, & lugenti, aut eo certè, qui lugentes decet, vestitu indui, Professores inde ordine ac modestè ad templum Arcis comitentur, & auditâ eo loco Oratione exequiali, in templum Parochiale prosequantur: quæque ibi similiter agentur ac dicentur, devote atq; attente auscultent. Quæ quidem res vertat & divine gloria illustrandæ, & tristissimi Ducis ac Domini nostri mœrori allevando, & beatissime Principis memoria cohonestandæ, & nostræ deniq; devotioni declarandæ, subjectioni exhibendæ, pietati exercendæ, vite emendandæ, fidei corroborandæ, spei fulciendæ, adeoq; saluti temporarie & aeternæ privatum ac publicè procurandæ.

Propositum Dominica Sexagesimæ,
M. DC. VI.

Affectus.

Affectus Pietatis
IN DEFUNCTAM
PRINCIPEM, SIBYLLAM-ELI.

SABETAM &c.

ERGO huc nos egit secreta potentia
Fati ;
Tam subito in lacrimas iretur, & omnis
ubique
Funestata novo squalleret Misnia lu-
Et tu ?
OCathedra, ut te nunc alio mihi prodis ami-
Et tu ,

Quam cum *Prima* sui celebraret *Jubila SÆCLI*
Rex Academæ, me Vate ! tapetibus aureis
Me componebam, & rectâ cervice sacerdos
Musarum in grandeis animabam carmina fastûs.
Nunc capite in pectus fluido, pullæq; adopertus
Sindonis induvio, vix hoc miserabile carmen
Strido levi stipulâ, siticenq; in murmur hiasco.

Nec tu te facie ostentas vultuq; priori,
Ordo *Professorum*, Musæi lumina cæli ;
Nec tu flos Urbis, venerandaq; *Cura-senatus*.
Et tu spes patriæ, & Clarii nova germina campi,
Ore veternoſo lætam-maculare juventam

Visa mihi, & solito demissior ire per urbem.
Omnes mutati, pullis in vestibus omnes.

Unde hæc tam subitò rerum feralis imago?
Unde? rogas. Dresdâ, fluit ex hoc fonte, quod omnes
Flemus: & inde dolor lacrimis alimenta ministrat.

Caussam etiam vultis? heu, nunc ego sacra li-
tassem

Et Tacitæ & Mutæ! tamen est dicenda: SIBYLLA-
ELISABETHA Fuit. fuit Elisabetha-Sibylla:
Principis illa boni conjux atq; optima Princeps.
Hanc miserari adeò, & lacrimis decorare clienteis
Non lex sed pietas jussit. jusso omnia pârent,
Magna minorq; tribus, quas Leucoris impete valli
Claudit, & ambitas in civica fædera cogit.

AT tu quîs oculis hæc spectes, JANE-GE-
ORG I,

Spectaculum ipse? tuum namq; hoc in funere funus
Crederis efferre, & tumulo te condere vivum
Ipse tui vespillo. tuum est hoc corpus. in uno
Corde cor amborum: tuq; illa; illa ipse fuistis.
Primus ab hoc igni flamas amor igneus hausit.
Huc vigor ætatis juvenileq; robur adactum est.
Debuit hæc nostro Rutæ generamen in horto
Vivificis stabilire jugis: hæc Saxonis altam
Ædificare domum. Nunc, ecce, sine igne Cupido
Inversas gerit ille faces: nunc alma juventæ

Robo-

Robora flaccescunt: alimentaque vivida suetūs
Destituunt Rutam: juga rupta repente ruinam,
Et domus ingenti latam dedit ore fenestram.

Ecqua tamen medicina malo est in tempore
quæri?

State viri: state ocīus omnes, sponda pherētri
Quos humeris subeunda manet. Sed enim ite Fri-
bergam

Pullati proceres, voti sunt omnia cassi.

Quod rapuit semel atra dies, adamantinus obex
Distinet, & nullis hæret revocabile sæclis.

Ito metalliferam pietas atrata Friburgam,
Depositumq; sacrum tumulo succedere terræ
Jam sinito. Cineres, defletaq; germina Rutæ
Quotquot ibi, præbete locum: concedite magni
Corporis exfusiæ. vobis comes additur umbris
Non ulli indécoris, nec avorum indigna sepulchro.

Si genus & veterum palmaris adorea Pa-
trum,

Aut si purpureâ lactens ætate venustas,
Si morum probitas, castæq; modestia vitæ,
In miserias si res placidâ Cor mollius undâ,
Conjugis illibatus amor; quodq; omnia præstat,
Si pietas sincera necem protollere possent;
Nondum fleta tui sub terras iret imago,
Nec se tam propero turbaret Misnia luctu.

Ectuid

Sent.

Ecquid nunc etiam per laudes ibo *Sibyllæ*?
Irem equidem: propriæ cumultum nisi laudis in i-
stos

Egissem numeros; & me simulare cypressum
Angustâ in tabulâ locus & ratio ipsa vetarent.
Saxoniam laudabo domum? laudabo Dynastas
VVirtembergatuos? certè latissima campi
Æquora; profusis ubi luxuriarer habenis.
Sed nunc non erat his locus. *Elisabeta-Sibyllam*,
Non genus & proavos alieno in funere laudat,
Perspectè quicunq; sapit pro tempore Vates.

Luget nunc Princeps, affectum ostendere no-
strum

Lugenti par est. nunquam membra adsita gau-
dent,
Si dolet arx capitîs. Posse, ô JANE-GEORG;
Exsinuare oculos lugubri è sindonis umbra,
Et nostros spectare choros, atque agmina vultus
Plena tui! dicas, Pietas spectata meorum est:
Leucoris & gaudet & nostro mœret honbri.

Ah nollem hoc etiam tibi nunc licuisse, ut
ista

Parte probaremur! Sed habent mortalia casum
Alternasq; vices. sors est sua cuiq; ferenda.
Tu quoq; ferre tuam, Mater generosa Sibyllæ,
Discito, quâ streperi sinuosa volumina Nicri

Necta-

Nectareas lambunt pretiosi palmitis uvas;
Et quâ magnificam Studgardia dives in arcem
Turget, & effusâ recubat convallis in umbrâ.
Fer, quod ferre deus te jussit: & indole matrem.
Vince piâ: quamvis sit durum, hîc vincere ma-
trem.

Vicit quippe alias exemplo hæc filia magno;
Magno nupta duci: magnâ quoq; prole Paren-
tem

Hunc factura ducem; magnos quæ temperet o-
lim

Saxonas imperio. Nunc spes occisa repente
Omnia funesto consumpsit gaudia casu.

Vos quoq; Tecciadum mollissima corda SORO-
RUM,

Et FRATRUM generosus amor, PATRISQUE
verendus

Herôæ gravitatis honor; moderatiùs æstu
Pectoris uriminor. nostra est jactura: dolorum
Major nostra seges. vobis quod debuit, olim
Virgo domi solvit: nobis non-virgo sub ipsâ
Debitione perit. sperabat Misnia priscos
Saxonas. in cineres (heu!) spes hæc fluxit' & un-
das.

Nec tu Saxo mihi nimiūsve avidusq; doloris
Diceris, aut lacrimis justum excessisse pudorem.

B

Causa

Caussa subest ; Prudens agnoscit, & æstimat illam.

Esto modus tamen, esto, viri sapientis & hoc
est.

Gaudere & mœrere, vices habet. instat utrumq;
Cælitùs : & sese Pius huic afformat & illi.

Abrepta est, fateor, Princeps Augusta. sed à quo ?

Nempe Deo. si rapta Deo ; quid fræna dolori

Laxet homo, calcesq; ferox ad sidera jactet ?

Affectionatè ferunt regnum cælestè gigantes,
Et ter conatos imponere Pelio Ossam,
Exstructæq; Ossæ frondosum involvere Olympum.
Tolle Poëtarum nebulas. hi nempe gigantes
Sunt queruli. queruli tentant rescindere cælum,
Et, quod habent in se, sceptrumq; & libera re-

gni

Mel min
et
Saccharin

Jura Deo rapiunt. Atqui si vela dedisses
Impellenda Notis, non te sequerere, sed illos :
Rectoremq; sequi terræ cæliq; recusas ?
Ne quicquam tamen & vanis obnitimur ausis.
Nolentem tractant, sed ducent fata volentem.

Rideres, cimbæ si quis retinacula rupi
Adstrinxisset, & audaci trahat impete funem,
Rupemq; ad sese vulsa radice moveri
Credat iners ; quādo ipse sequax moveatur ad istam.
Deliramus idem, nos lex æterna ligavit
Ad rupem fati, (Fatūm est divīna voluntas)

Lu-



Luctandoq; reluctandoq; obnitimur illi.

Quin nostri simus. nec iniquum hoc esto , quod
æquum

Teste Deo visum est. Benè sit tibi, dīa SIBYLLÆ
Mens-animi! Benè sit Viduo tibi, JANE-GEOR-
GI!

Quos junxit Deus antè, modò sejunxit: & idem
Sejunctos patrio rursùm conjunget olympos.

Nos & eò meditamur iter, cum Principe
vilis

Turba clientelæ. Qui tu scis, Optime nostri
Rector Ephebæi; qui tu, sanctissime Consul,
Quos video sertam lacrimosæ ducere pompx;
Utrum hos, si redeat circumfluus annus in horæ
Hæc momenta suæ, possis mihi sistere cunctos?
Ibimus: & felix, nostræ cui more SIBYLLÆ
Per CHRISTUM datur ire viam: cui læta sub æ-
thram

Vita fugit, mortisq; feræ lucrata dolores.

Tempus erat, Princeps quando hic quoq; robur
in hostem

Missile vibrabat: quando hic quoque verba
sonori

Funderet eloquii; vel tunc, hoc quando ma-
gistro

Augustæ exhibita est Fidei Confessio nostræ;

B 2

Qui

Respicunt hæc
statuam Joban-
nis Eleæt. Sax.
que Cathed-
dicentis imn.i-
nebat.

Qui nunc cum Geniis agit immortalibus ævum;
Postgenitisq; sui simulatam in marmore bruto
Corporis effigiem, monumentum exile, reliquit.

Tempus & illud erat, (quod fors meministis &
ipsi)

Quando *Lutheriades*, cui fulmen lingua, cor Ætna,
Vox tonitru, calamus grando; sublimis in isto
Stabat suggestu. nunc lignum pensile factus,
Umbraq, picturæ, sed in hoc regalior omni
Rege, quòd hinc capit is membrum quoque pensile
Christi est.

*Omne immutatur mortali lege, quod in se
Publica Naturæ domus hæc tenet undiq; clausum.*

At tu salve, etiam salve; decus addita magnis
Dâ *Sibylla* animis, quos cæli in parte locavit
Casta Fides nulloq; Operum maculata veneno.

Invenies illîc aviamq; & avita *GeorgI*
Nomina: quiq; tibi patrito sanguine juncti,
Christophorumq; Ludovicumq; acerrima quondam
Fulmina militiæ, quam militat auspice Christo
Conjurata manus, sanæ Pietatis alumna.
Saxonas & nostros illîc nova diva videbis
Permistas Geniis; atq; ipsa videberis illis.
Heic & *Fridericum* patrem, matremq; *Sibyllam*
Nuper desertos; heic & novanupta *Maritum*,
Ast omneis serò (pietas jubet) exspectabis.

Ulna

Unà omnes salvete : omneis tamen ante SIBYLLA :
Ante SIBYLLA omneis JANI ELISABETA
GEORGI :

Cui soli mœstam pietas hodierna lacernam
Induit, & pompam funesto examine ducit.


Tuq; etiam salve; sed non quo nomine mânes,
JANE-GEORGI, animis & corpore masculine Saxo.
Salve iterùm; Rutæq; adeò sacra Nomina FRA-

TRUM

Saxonicæ. nam nostra salus tibicine fulta est
Saxone. Relligio, quæ depurata Lutherø est,
Inveniat nostros heic sana & salva nepotes.
Frondibus Augustis comptos redimita capillos
Pax alitam cole semper humum. pax nescia fuci.
Quorsum furta paras, & *pacis* habentia *vultum*,
Non *animum*? Pax sit: votorum hoc nobile votum
est.

Misnia tolle oculos. flammis crepitantibus ardet
Proximus Ucalegon. jamq; ad tabulata voluti
Heic quoq; cernuntur spacioa volumina fumi.

UNA Ialus Paci, bellum te spernimus OMNES.



B 3

Illu-

Pro pace
voluta.



Illustriſſima Princeps, SIBYLLA-ELISABETA LOQUITUR.

SPECTAMEN FORMÆ: SPECIMEN PIETATIS: HO-
NESTI.
EXEMPLUM: SUEVI NOBILE GER MEN AGRI:
SAXONI NUPTA DUCI: PATRIÆ SPES ALTERA MA-
TRIS:
DELITIUM MYSIÆ GENTIS AMORQUE FUI.
OMNIA CÙM FUERIM; NIHIL OMNIBUS ESSE VI-
DEBOR,
QUÒD, ME MATRE, SUPER NON SIT IMAGO MEI.

INTERPRETE VERITATE.



VETUS

VETUS NERIO.

(Putares Senecæ: planè non sunt.)

MORI, Unum est, quod æquè ad Juvenem quam
ad Senem pertinet. Non citamur ex censu, nec
exigitur numerus annorum. Et adolescentes &
impuberis eadem fati necessitas dicit. Optimum est
mori, cum juvat vivere. **Q**UICUNQUE ad extre-
mum fati sui venit, senex moritur. Non enim refert,
quæ sit hominis ætas, sed quæ sit meta. Et si juvenis
morior; alicui fortasse malo me subducit Fortuna: si
nulli alii, vel senectuti. Nec refert, quot annos habe-
am, sed quot acceperim. si plus vivere non possum, bæc
est Senectus mea.



mc

16 2651 OK

ne



ULB Halle
003 288 560


3



VD 17



8.30.15



Acad

S I I

J OH

Incompar.
XX

